

retur, nam haec sunt eodem loco eius verba:²² *Si enim omnes aliquis figuras effingens ex auro, nihil transfigurans cesset, singula in omnes, ostendente sane aliquo ipsorum unum et interrogante quid nam est, longe ad veritatem? Secure dixerit, quod aurum: et paulo post*
 5 *hoc exemplum applicat:*²³ *Eadem sane ratio etiam de suscipiente omnia corpora natura idem eam semper appellandum, ex sua enim propria omnino non exit natura. Quid clarius?*

Cavillose ergo Aristoteles est interpretatus hoc auri exemplum. Quare et sequentia illa verba vana sunt. *Cum tamen hoc*
 10 *non recte dicitur, hoc modo dictum. Sed quorum quidem alteratio est.*^{vii} Ita et quae sequuntur omnia numquam enim Plato alterationem ἀλλοίωσιν eo loco nominat, sed generationem ubique.

Attamen cum tot verbis prave in contrarium sensum detortis Platonem hoc loco arguat: ὑπ' αὐτῆς τῆς ἀληθείας ἀγόμενος,
 15 *ipsa veritate ductus, primo De elementis capite ultimo haec eadem Platonis dicta sibi ipsi contradicens laudat ita scribens:*²⁴ *Sicuti enim etiam in aliis informe et infiguratum oportet subiectum esse (maxime enim ita possit transfigurari, sicuti in Timaeo scriptum est ipsum pandeches), ita et elementa oportet existimare tamquam materiam*
 20 *esse compositis. Quod si auri exemplum in materiae declaratione a Platone allatum, reprehensione Aristotelica dignum indigne fuit, quia figuras formas scilicet non essentielles, sed accidentales exprimunt, cur non reprehendantur Aristotelica exempla quo-*

²² εἰ γὰρ πάντα τις σχήματα πλάσας ἐκ χρυσοῦ μηδὲν μεταπλάττων παύοιτο ἕκαστα εἰς ἅπαντα, δευκνύντος δὴ τινὸς αὐτῶν ἐν, καὶ ἐρομένου [προσερομένου] τί ποτ' ἐστὶ, μακρῶ πρὸς ἀλήθειαν, ἀσφαλέστατον εἰπεῖν, ὅτι χρυσός. [PLATO, Ti. 50.a.5 – b.2]

²³ αὐτὸς δὲ λόγος καὶ περὶ τῆς τὰ πάντα δεχομένης σώματα φύσεως ταυτὸν [ταυτὸν] αὐτὴν ἀεὶ προσρητέον. ἐκ γὰρ τῆς ἑαυτῆς τὸ παράπαν οὐκ ἐξίσταται δυνάμεως [φύσεως]. [PLATO, Ti. 50.b.5 – 8]

²⁴ ὥσπερ γὰρ <καὶ> ἐν τοῖς ἄλλοις ἀειδὲς καὶ ἄμορφον δεῖ τὸ ὑποκείμενον εἶναι (μάλιστα γὰρ ἂν οὕτω δύναιτο ῥυθμίζεσθαι [μεταρῥυθμίζεσθαι], καθάπερ ἐν τῷ Τιμαίῳ γέγραπται, τὸ πανδεχές), οὕτω καὶ τὰ στοιχεῖα δεῖ νομίζειν ὥσπερ ὕλην εἶναι τοῖς συνθέτοις [ARIST. Cael. 306b.16 – 20]

^{vii} Nema grčkog teksta.